

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCLVI.**

**VD18 90538986**

CXXVI. Historia Et Cura Bubonis Inguinalis Cum Perforatione Intestini Et  
Eruptione Lumbricorum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16618**

CXXVI

HISTORIA ET CURA

BUBONIS INGUINALIS

CUM PERFORATIONE

INTESTINI ET ERUPTIONE LUMBRICORUM.

*Præside*

CHRISTIANO VATER.

*Resp.*

GUSTAVO PROSPERO JUCH

Wittenberg. 1693 Mens. Martio.

E 3



CXVII  
HISTORIA ET CURA  
EUBONIS IN ULMAS  
CUM FERROBASTIONE  
EXTIMIS ET EFFUSIONE  
CHRISTIANO VATER  
GUSTAVO PROSPERO JUCH  
Wiesbaden 1803



Quandoquidem sola ratione medicinam subsistere posse, nemo est, qui arbitretur, ita illi omnium pessime rebus suis consulere mihi semper visi sunt, qui generalibus medicinae praeceptis, disputationibus & controversiis, citra necessitatem, & quam par est, diutius inhaerent, nec per individua, ad sanandos singulatis aegros, eadem applicare satagunt. Quid, quaeso, illi proficiunt, qui naturam universam inter disputationum contentiones quaerunt, aut qui pleno ore de mineralibus, vegetabilibus & animalibus, eorundemque causis & qualitatibus certant, si vero ad rem ventum fuerit, nihil praeter nomina & terminos norunt. Inspicienda talia sunt & monstranda, non solum disputanda. Pari ratione oleum & operam perderemus, nisi quae de tumorum, vulnorum, intemperierum, februm, aliorumque morborum causis, subjectis & remediis concepimus, exempla specialia in aegris nobis confirmarent. Eo fine jam tum inter antiquissimos, Hippocrates, votivas aegrotantium tabellas, quibus remedia morborum in templis gentilium appensis continebantur, magna cura quaesitas, suis & aliorum usibus descripsit, & post hinc historiarum egregios commentarios in epidemiis reliquit, quem etiamnum celeberrimos viros imitari, toto die videmus. Illis ipsis quidem nomen meum inferre non ausim, nihilo secius jam tum varia haecenus in praxi observata, & studio collecta, mihi in promptu sunt, inter quae sequentem historiam & curam, consensu & autoritate gratiosissimae facultatis medicae eruditorum examini, loco inauguralis speciminis, exponere placuit. Largiatur Deus T. O. M. hisce meis conatibus eventum quoque felicissimum, ut cedant in ipsius Gloriam & Proximi salutem!

#### H I S T O R I A.

Juvenis XXVIII. annorum, Johannes Mengel, temperamenti sanguinei & corporis robusti, de diæta parum sollicitus, & fructus, praecipue horarios, sine discrimine, in magna copia devorans, aliquando à laboribus defessus ac exæstuans, potu frigido se invitabat, unde die 22. Nov. anno 1687. tumorem duriusculum in inguine sinistro, magnitudine ovi gallinacei, sentiebat, absque tamen dolore vehementiori, nisi quod inter ambulandum motus femoris sinistri quodammodo impediretur: medicus quidam & chirurgus in subsidium vocati, herniam subesse judicant, eidemque remedia, tam interna, quam externa, opponunt, sed infelici prorsus eventu; tumor enim in diem augebatur, ut non solum inguen, sed etiam regionem umbilicalem & hypochondrium sinistrum occuparet, cum symptomatibus atrocissimis, inflammatione nimirum summa, febre, dolore intolerabili, tensivo & pungitivo, torminibus ventris, vomitu continuo, singultu, dysuria, prostratione virium, tandemque lipothymia

infe-



insequente. Hinc graviter perturbata ægri mater die 3. Decembris meam quoque implorabat opem; ego vero circumstantiis omnibus bene ponderatis, nullam prorsus herniam, sed potius abscessum deprehendebam, indeque medicamentis prioribus & bracherio remotis, tumorem potius emollientibus & suppurantibus tractandum curabam, non neglectis simul internis nervinis, bezoardicis, diaphoreticis, traumaticis & anodynis: ita spatio duorum dierum suppuratus abscessus & ruptus, ingentem quantitatem materiæ purulentæ fundebat, cum insigni levamine, unde æger & adstantes rem in vado jam esse arbitrabantur: sed quid sit? diebus sequentibus nempe 4to & 5to Decembris, lumbrici, longitudine fere cubiti, ex abscessu sequebantur, & quod magis mirum ipsissima alimenta, paulo ante assumpta, cruda partim & semicocta, ut frustula pomorum, semina papaveris aliaque. Nihil fecius tamen animum nondum abjiciendum putabam, quin potius curæ priori insistens, remediis balsamicis, traumaticis & confortantibus continuabam. Et ecce æger præter omnium spem & cum admiratione adstantium pristinæ reddebatur sanitati, adhuc incolumis & ex omni parte sanus.

## T H E S. I.

Quoniam machina corporis nostri hydraulicopneumatica, qua nullam dari, aut fingi quidem potest perfectior, nihil nisi contextus vasculosus, e meris canaliculis, tubulis & vesiculis, incredibili arte fabricatis, componitur, & varii admodum generis succis repletur, mirari amplius non subit quare, data in humoribus istis turba quadam, tam subito tota œconomia animalis non solum afficiatur nimium, sed etiam scorix omnis generis ad confinia tubulorum istorum, glandulas nimirum, aut alius generis vasculosos contextus, propellantur & protrudantur. Uti enim mare continuo suo circuitu & alluvie varias ubivis fordes ad littora exponit, & effundit, ita non minus unda microcosmia peregrinis effluviis turbata, despumat sæpius & miasmata sua  $\ominus$ na,  $\triangle$ rea, putrida aliaque heterogenea ad extimos parietes rejicit, unde tot tumores, inflammationes, dolores aliaque mille mala pullulare solent. Exemplo nobis in præsens erit bubo, tumor glandularum; præcipue inguinalium, cum inflammatione & dolore plus minus aucto a sero sanguinis viscido, impuro, acido-acri ibidem stagnante, oriundus.

## T H E S. I I.

Haut graviter adeo in consuetudinem, omnibus quidem retro temporibus observatam, peccabo, etiamsi etymologiis, homonymiis, & synonymiis

nymiis jam non inhæserim prolixius, per se enim e Dissertationis rubricæ titulo satis liquet, rem nobis esse non de ave, aut parte quadam corporis, bubo alias appellata, sed de tumore cujusdam speciei, & potissimum inguinali, ejus regionis glandulæ, imò ipsa regio, communiter bubones appellantur, ut propterea etiam hernia inguinalis, bubonocæles nomen obtinuerit; de quibus prolixius, si placet, legi merentur *Celsus de re medica. Goræus de fin. medic. & alii.*

## T H E S. I I I.

Diximus vero, bubonem esse tumorem glandularum, præcipue inguinale cum dolore, rubore & inflammatione, plus minus aucta, à sero acido & acri ibidem stagnante ortum, ne cum aliis tumoribus, etiam glanduliformibus speciebus confundatur facile; contingunt enim alias glandulis, & glandulosis partibus, plures læsiones & tumores v. g. scirrhi, scrophulæ, strumæ, atheromata, melicerides, steatomata, testudines aliique; in eo tamen à bubone semper distincti, quod à lymphâ minus acri, magis tamen viscida, mellaginea, aut etiam sebacea oriuntur, indeque sine dolore, inflammatione aut suppuratione diutius durare solent. Hic vero glandulæ affectæ semper, plus minus quidem, dolent, cum majori, vel minori inflammatione, sæpius ad suppurationem tendente: uti in lue venerea, febribus malignis & peste ipsa, quibus tam frequenter complicantur bubones, toto die observamus.

## T H E S. I V.

Et tali quidem bubone ægrum nostrum affectum esse, vel ab initio statim dignosci poterat; erat enim juvenis sanguineus, plethoricus, gulæ nimium indulgens, & præcipue ab incandescencia corporis vehementi, potu gelido se obruens, quæ singula quantopere ejusmodi stagnationibus humorum, & inflammationibus producendis faveant, e causarum serie mox patebit. Manifestabat præterea se tumor in inguine sinistro, cum dolore primum quidem leviori, sed subinde crescente, cum inflammatione ingenti, & subsequente demum suppuratione, absque tamen ullis extrinsecæ læsionis, aut rupturæ signis; ut adeo mirari non satis potuerim, quomodo illa, vel minima, herniæ alicujus suspicio aliis dari potuerit.

## T H E S. V.

In herniâ alias intestinali tumor observatur mollis, & indolens, qui à sumpto præcipue cibo, vel flatibus in intestinis collectis, per intervalla intumescit, à decubitu vero in dorso detumescit, vel profusus disparet; intestina quoque ipsa in tumorem prolapsa, manibus deprehendi possunt,

Tom. V.

F

&amp;



& intra abdomen reponi, nisi inflammatio quædam conjuncta, repletio nimia à flatibus, aut aliæ quædam circumstantiæ interdum obstant. Pari- ter in omentali tumor adhuc est laxior, lubricus, & sibi semper æqua- lis; in flatulenta vero lævis, splendens, renitens, qui ab attacku mur- mura edit, quemadmodum in aquosa & præ cæteris graviori, aqua flu- ctuans se prodit; neque demum carnosæ & varicosæ, quæ in scroto fo- lum fit, cum insigni duritie, & absque omni dolore, adeo ut etiam com- pressa, vix ac ne vix sentiat quidem, cuidam imponere queat.

## THESES. VI.

Variant quidem etiam bubones, non solum ratione sedis affectæ, sed etiam graduum, & complicationum cum aliis morbis; unde modo paroti- des, pani, phymata, phygeta, bubones venerei, pestilenciales, mali- gni &c. ab authoribus vocantur, neutra tamen horum signis istis propriis antea recensitis, caret. Quare autem ejusmodi ruptiones & stagnationes humorum frequentes adeo sint glandulis, & præcipue inguinalibus, nun- e structura illarum eo plenius addiscere licebit.

## THESES. VII.

Glandulæ quidem non unius profus generis in corpore nostro repe- riuntur, sed propter figuram & texturam diversam, aliæ videntur magis globosæ, vel conglobatæ, e simplici vasorum complicatura formatæ; aliæ vero ex his conglobatis, denuo collectis, conglomeratis, & racematim sibi invicem super impositis & connexis, constant; quædam quoque ma- gis vasculares, aliæ vesiculares potius per microscopiorum examina accu- ratoria, deprehenduntur; omnes tamen in eo conveniunt, quod e vaso- rum sanguineorum, præcipue arteriolarum capillarum, extremitatibus; varie convolutis complicatis & glutine quodam connexis, consistunt, in quorum medio vasorum gyri, tanquam à peripheria in centrum vesiculare concurrunt, intra quam serum, lege mechanicæ structuræ colatum, col- ligi, indeque per tubulos lymphaticos aliorum derivari debebat. Tales vasorum conglomeraciones & contextus vesiculares in glandulis majori- bus, præcipue bubonibus, ultro apparent, & turgescuntibus, vel etiam arte injectis liquoribus, æque ac mammæ tam promptissime intumescunt ac detumescunt.

## THESES. VIII.

Inguinalium glandularum, ut de iis in specie aliquid moneam, & quæ viris æque ac fœminis communes sunt, inter conglobatas extantiores & laxiores, quinque vel plures, in flexu inguinis deprehendimus, quæ non solum

folium venis cruralibus per plurimos ramos cohærent, sed easdem quoque applectuntur quasi, infra quas adhuc alia, præ cæteris magna & oblonga locatur, quam propterea pestis, illas vero luis venereæ virus præ cæteris recipere *Riolanus in Enchirid. Anatom.* judicavit. Cujus quidem diversitatis, nullam rationem habebat, nisi quod pestis venenum longius eliminetur. Nobis sufficit, quod omnibus hisce præsuppositis, & bene trutinatis appareat facile, quam frequenter & necessario, sanguinis mixtione turbata, scorix ejusdem heterogenæ, facta insigni lucta, ad glandulas istas, vasorum extremitatibus appensas, tanquam emunctoria, à natura alias destinata, propellantur; quamque facile, nisi cito resolvantur, in textura ejusmodi delicatissima, & gyrosa vasorum, crassiores præcipue partes, cumulentur & coagulentur. Ita enim constanti naturæ lege sancitum, ut sanguis & lymphæ perpetuo circuitu per corporis universi partes eant redeantque; ubi vero fit, quod motus iste à variis causis turbetur, vel impediatur, maxime in locis istis anfractuosis & glandulosis, tum spiritos & humores largius congesti, necessario incallescunt, canaliculi vero & vesiculæ, solito celerius, moventur & extenduntur, quæ inflammatoriam obstructionem, vel inflammationem dicimus.

## T H E S. I X.

Quemadmodum vero, omnis sanguinis restagnatio & obstructio inflammatoria fieri solet, vel ex vitio ipsorum humorum circulantium, vel saltem pororum & tubulorum, à causa quacumque alia externa immutatorum & obstructorum; ita utramque in nostro quoque ægro offendimus manifestam: erat enim juvenis alias robustus, sanguineus & plethoricus; sola autem plethora eruptioni locum dare potest, quando vasa sua nimium distendit, vel plane rumpit, unde sanguis, vel solummodo serum ejus stagnat, stagnando vero necessario intemperiem contrahit, dum partes subtiliores interea secedunt, crassiores relinquuntur, grumescunt, acescunt, ex quo non nisi fermentationes peregrinas & corruptiones fieri, necesse est.

## T H E S. X.

Sed gravius procul dubio momentum addidit, cacochymia sanguinis e fructibus præcipue horreis, alias sponte & subito fermentantibus, & putrescentibus contracta & suggesta: succi horum fructuum; per naturam nidorosi, viscosi, gelatinosi, paucarum horarum spatio fermentescunt, putrescunt, & in stagma acidum vertuntur; quanto magis in corpore impuro, & corruptioni non minus obnoxio. Qualis enim cibus, talis chylus, qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis sanitas; adeo ut plures gulam, quam ensen necare, juxta commune proverbium non inepte dicatur. Jam vero nulla amplius probatione indiget, quod acida,

austeræ præ omnibus, vi mechanicæ particularum structuræ, fibras & porulos non solum arctius constringant, sed etiam ipsos humores jam tum viscidos, coagulent & condensent, partes  $\ominus$ inas &  $\oplus$ reas volatiles, quibus sanguis per naturam turgere debebat, figant & ligent, adeoque ejus rarefactionem, & fluxilitatem cohibeant; consimili pene modo, quemadmodum ab acido aliquo lacti instillato, caseosas partes à sero præcipitari observamus, vel ipse sanguis recenter emissus, eo momento omni fluxilitate deposita, ab eodem grumescit. Nihil igitur mirum, quod in tam innumeris affectibus, imprimis peste, scorbuto, lue venerea, lepra & similibus, quibus alias bubones quoque comites, acidum semper accusandum veniat.

## THE S. XI.

Næque dubium est, quin alia adhuc sanguinis vitia & impuritates ab inordinata prorsus ægri nostri diæta accesserint. Omnis acredo, etiam minus acida, sed  $\ominus$ sa & muriatica, irritat & rodit tubulos; lixiviosa & alcalica volatilis, sive fixa, cum acido effervescit, & misturam sanguinis turbatam, motumque plus justo rapidiorem, & affluxum ad partes, concitat. Reliquæ impuritates & cruditates viscidæ, mucosæ, crassæ & inertes licet, ad minimum tamen obstructioni pororum & consequenter stagnationi fores aperuerunt.

## THE S. XII.

Præcesserat insuper in nostro ægro incallescencia totius corporis nimia à labore forti, per quam humores alias & spiritus agitantur, & raptu quodam huc illuc feruntur; salia peregrina adhuc quieta, & quasi sopita, excitantur nimium & in orgasmum rediguntur, quæ alias mora temporis ad meliorem frugem reduci, aut alia ratione evacuari potuissent: ex quo fit, quod à solo motu immoderato, hæmoptysin, phthisin, inflammationes, pleuritidem in specie aliaque mille mala, toto die oriri videamus, de quibus etiam exempla si placet, legantur ap. *Rolf. Ord. & Meth. med. spec. p. 122. River. lib. 1. obs. 45.* Nec dicam, per nimium motum spiritus enormiter dissipari, quibus autem, tanquam motoribus humorum præcipuis deperditis, sanguis eo facilius in grumos abit, æque ac per venæ sectionem emissus, loco fluoris, gelatinæ formam, ob eandem rationem & frigus extrinsecum accedens, assumit.

## THE S. XIII.

Sed frigus etiam huic buboni vires & pondus addidit, quando æger statim ab incandescencia potum gelidum ingurgitavit. Dicit non potest, quan-

quantum frigiditas in affectibus ejusmodi producendis valeat, quatenus partibus suis nitosis, acidis, poros corporis æstuantis, tum temporis laxatos & apertos, eo promptius penetrat, & humores in fervore constitutos, subito reprimit, figit & coagulat. Hinc inflammationes, anginæ, pleuritides, phrenitides, bubones & similes, nunquam frequentiores observantur, quam ubi cum calore aer, aut potus frigidus toties permittitur. Ideo etiam potus non solum à motu fortiori, sed incandescencia solum ab ira assumptus tot semper strages hominum induxit, quod nisi quotidiana adhuc doceret experientia, exemplis innumeris jam probarem.

## THESES XIV.

Præter has causas satis quidem prægnantes, non reticendi quoque sunt errores in cura priori commissi. Historia enim loquitur, ægrum ab initio curæ pro hernioso habitum, indeque remedia adstringentia, oleosa & emplastica una cum bracherio fuisse adhibita, quibus certe pori inguinum & glandularum fuerunt obstitati, compressi; resolutio & transpiratio fuliginum morbosorum prorsus cohibita, imo interiora versus & in sanguinem repulsa, unde sane tot gravissima symptomata oriri prorsus necessum erat. Ideo enim tam sollicitè, in quibuscumque inflammationibus cavemus alias omnia pingua, viscida, frigida, styptica, & similia, quoniam ex prohibita in iis transpiratione, tot tragicos affectus oriri toto die videmus.

## THESES XV.

Exemplo suo id probat satis noster; augebatur enim statim ab applicatione istorum inflammatio ingens, non solum bubonum, sed omnium vicinarum partium, usque ad umbilicum & hypochondrium se extendens. Nullus dubito, quin partes & viscera quoque interiora, vesica imprimis urinaria & intestina tenuina æque, imo eo magis, quo viciniora, vasisque sanguineis & nervis insignioribus instructa; fuerint inflammata, uti etiam e symptomatum syndrome satis superque apparet. Inflammatio alias non æque semper manifesta est in bubonibus, quando nimirum lymphæ magis viscida & acida obstruit quidem, minus vero turgescit, vel effervescit, quemadmodum in bubonibus venereis & serosis magis observatur. In nostro autem juvene plethorico, facto semel sanguinis orgasmo, non poterat, quin ibidem in circulo impeditus incalesceret, partes istas obstructas secundum omnem dimensionem agigaret, extenderet, & irritaret, in quo ratio tota omnium inflammationum consistit; sanguinis enim in circulo suo impediti partibus  $\ominus$  nis & sulphureis idem accidit, quod in aliis liquoribus heterogeneis fermentabilibus, ut intestino & tumultuario motu incalescant non solum, sed etiam vicini & cohærentis sanguinis partes in consensum trahant.



## THE S. XVI.

Eo ipso & ob fibrarum & membranarum tam gravem irritationem, dolor adeo fuit auctus, etiam ad intestina usque propagatus; non quod intemperies, aut obstructio ipsa majorem affluxum sanguinis concitaverit: nullus enim proprie loquendo, & stante circulo sanguinis, datur affluxus major, vel minor ad partes; sed quoniam in parte obstructa humores congesti non distribuuntur satis, necessario fervidi & aciores redditi, efortius in tubulorum poros impelluntur, impinguntur, fibrillæ nimium distenduntur, vel dilacerantur penitus, adeo ut spiritus in contrarium profusus & tumultuarium motum redigantur, sensumque doloris reddant.

## THE S. XVII.

Motum istum tumultuarium irritativum & intestinum manifestabant statim ventris tormina, singultus & vomitus subsequentes; ventriculus enim & intestina consentiunt inguinibus, non solum communi sanguinis & spirituum vinculo, sed imprimis quoque per communem omnibus membranam & tegumentum, peritonæum nimirum, quo fieri non potuit, quin eorum fibræ quoque spirales irritarentur graviter & motus peristalticus, vomitus & singultus sequerentur.

## THE S. XVIII.

Dysuriam vero in specie vesicæ urinariæ compressioni & inflammationi tribuebam; quoniam enim hæc inguinalibus istis glandulis proxime adjacet, imò mediante ligamento suo peritonei processui, cui bubones subsunt, cohæret, præ ceteris inflammationem non solum participare, sed à tumore vicino comprimi debebat: tunicæ autem vesicæ adeo oppressæ, non nisi cum dolore se dilatare, vel stringere, urinamque reddere possunt.

## THE S. XIX.

Dum hæc omnia fiebant, & remotis prioribus medicamentis adstringentibus & repellentibus, emollientia potius & digerentia applicabantur, intra bidui spatium succi stagnando acerrimi facti, nunc data via erumpabant foras, & ægrum in momento à gravissimis istis symptomatibus liberabant, quemadmodum in peste, aliisque febribus malignis, causa morbi præcipue per metastasin criticam ad bubones, vel carbunculos translata, ægroti à præsentaneo vitæ periculo vindicantur. Mirabar ingentem purulentæ & corruptæ materiæ quantitatem, quam vero paulo post non solum

Solum e ruptis & apertis bubonis vasculis, sed & intestino accumbente simul inflammato & eroso, eo derivatam & auctam deprehendebam.

## T H E S. X X.

Sequebantur enim sequentibus diebus lumbrici intestinales & alimenta cruda, partim semicocta, imo ipsa medicamenta à me propinata. Dubitare hæc non permittebant de erosione & ulceratione intestini cujusdam, quod licet visu deprehendi non posset, tamen ileon maxime affectum, e lumbricis & cibus crudis simul rejectis, colligebam. Lumbrici enim hoc potissimum domicilium amant, eo quod semina ibidem verminosa primum cum cibus reponantur blando calore excludantur, & exclusi quoque hic alimentum omnium gratissimum, chylum nimirum, inveniant. Accessit quod alimenta semicocta & ipsa medicamenta tribus ab assumptione circiter horis, simul rejicerentur.

## T H E S. X X I.

Dubitari vero hic posset, utrum erosio intestini forsan à vermibus facta antecesserit bubonum, vel potius, uti hactenus demonstravimus, ab his inflammatis intestinum demum corruptum & erosum, indeque transitus vermium per ulcus jam apertum secutus fuerit. Inauditum certe non est, vermes intestina perforasse, indeque una cum saburra putrida in cavitationem abdominis prolapsa, occasionem abscessibus inguinalibus dedisse, cujus insigne, & quod instar omnium esse potest, exemplum refert *Nic. de Blegny Zodiac. Med. Gallic. Ann. I. p. m. 84.* Ita herniam inguinalem, ab intestino à vermibus eroso ortam, notavit *Bonett. Med. Septembr. P. 2.*

## T H E S. X X I I.

Quin tamen prius assererem, persuaserunt mihi circumstantiæ antecedentes & concomitantes variæ. Nulla enim præcesserat hernia, colica, aut alia intestinorum læsio, sed à primo invasionis die dolor fixus & tumor inguinis sinistri fuerat perceptus; quamvis mirum adeo non fuisset, quin ob *адъдуылау* passiones colicæ, aliæque intestinorum mala accesserint. Ita à passionibus colicis pertinacissimis in fœmina Belticensi non rite curatis, ipsum colon sub inguine dextro ruptum, indeque in abscessum inguinis istius, cum rejectione fœcum terminatum vidit, & curavit. *Excellentiss. Du. Præses.* Et alius in suburbio Wittebergensi, postquam herniæ incarceratæ & inflammatæ aquart illam superiori anno in vicinia Wittebergæ exortam, & à vulgo pro miraculosa habitam, frigidam cum sabulo applicasset, abscessum & ruptionem herniæ sibi contraxerat, ita ut  
cibi

eibi assumti quòque semiconcocti transfrent aliquamdiu ; ejuſdem tamen ſonſiliis & auxiliis ſanitati reſtitutus eſt.

## THE S. XXIII.

Nec ego animum abjiciendum tuum putabam , præcipis cum recordarer conſimilis fere caſus , quem olim , inter alia notatu digniſſima , mihi communicaverat *Excell. D. Faſchius* , Patronus & Præceptor meus poſt cineres ſancte colendus : ipſe enim ad molitorem quendam , verberibus & contuſionibus immaniter exceptum , & per noctem aëri frigidiffimo expoſitum vocatus , eundem vulneratum non ſolum , & ſemimortuum , ſed etiam bubonocèle ſphacelata jam affectum invenit , nihilo ſecius tamen medicamenta debita applicavit , ex quo die tertio tota hernia , una cum inteſtini coli parte & excrementis alvinis abſceſſit (*der Bruch iſt ſambt dem Gedärm von leibe gefallen* ipſe dicebat) & æger per aliquot annos , im- perfecta quidem valetudine , vixit.

## THE S. XXIV.

Ex his ergo omnibus conſtare arbitror , quævis ulcera & vulnera inteſtinorum , ſive tenuium , ſive craſſiorum , non absolute ſtatim lethalia , vel incurabilia ſolum pronuntianda eſſe , niſi majora , aut cum vaforum inſignium læſione conjuncta fuerint. Tenuium quidem inteſtinorum non ſolum , ſed & craſſiorum rupturæ , & læſiones omnino valde periculofæ & communiter incurabiles , ſi non lethales prorsus ſunt , quoniam à contentis ſuis & flatibus continuo extenduntur , motu periltaltico perpetuo exercentur , chylum vel feces effundunt , facillime inflammantur , nec remedia topica commode applicari poſſunt. Nihilo ſecius tamen ſpem interdum ſuperèſſe promittunt circumſtantiæ plures , quando nimirum hiatus , vel ruptura non adeo magna , nec rotunda aut cum abſumtione inſignis portionis conjuncta , eaque potius oblonga , quam tranſverſalis , & verſus exteriora magis patens. Ita enim fieri poteſt , ut licet elabentes aliquandiu feces tranſeant , tandem tamen ulcus , vel vulnus per communem cum externis integumentis cicatricem , ſi ſcilicet illud rupturæ externæ e diametro opponatur , conſolidetur ; quod etiam in meo patiente , per Dei gratiam , factum novi. Ne dicam , quod inteſtinum læſum & ruptum interdum ita pateat , ut per futuram artiſioſam & decentem reſtitui poſſit. Cujusmodi exempla habemus in *Glandorp. obſ. 32.* & *Ephemerid. Germ. d. l. ann. 3.* Fieri inſuper etiam poſſet , quod omentum , inteſtiniſ inſtratum , aperturæ ſe applicet & conſolidationem promoveat. Imo licet hiatus plane non conſolidetur , ægri tamen interdum ſupervixerunt diutius , miſere licet : uti videre eſt apud *Fernel. pathol. l. 6. c. 14.* in viro quodam , cui ex vulnere abdominis

minis accepto, intestinum ileon prorsus abscissum, ita tamen, ut intestini portio superior rescissa per vulnus prodierit, e quo feces per multos annos exierunt, via illa ordinaria, quæ ad anum ducit, prorsus coalita. Eadem felicitas alii apud *Blegny l. c. Ann. 2. Jun. obs. 4.* contigit, cui in dextra abdominis inferioris parte, paulo supra annulos, processus peritonæi transitum concedentes, ilei tubus resectus extra vulnus ad longitudinem sextæ partis ulnæ elapsus, & vitam tamen superesse concessit: exterior enim portionis ilei egressi membrana in eo paulatim ad interiora se contraxit, adeo quidem, ut circumferentia extremitatis illius, cum attingeret vulneris circumferentiam, a natura sensim fuerit conjuncta, & conglutinata, intercedente sutura quadam naturali; membrana vero interior adhæserit parti exteriori, eadem servata longitudine, eaque ratione deinceps opem tulit excrementorum expulsionem, modo & instrumendo, quod ab authore ibidem descriptum habetur: crassa interim intestina, à cæterorum consortio divisa, sarcinam suam primam excusserunt paulatim, postea vero ab illo tempore munere functa sunt nullo, sed ita in se subsederunt, ut æger ne minimam enematis partem admittere valuerit, semestri ab accepto vulnere spatio, nec semel quidem ad flatuum exclusionem dehiscente ano.

## T H E S. X X V.

Neque etiam ipse bubo in nostro per se adeo periculosus fuisset, nisi cura & remediis prorsus inconvenientibus symptomata ista gravissima fuerint contracta. Habentur quidem bubones, pro signis morborum in profundo latentium, notante *Hippocr. 6. Epidem. c. 2. n. 11.* Videndum vero, quæ causæ antecesserint, aut quibus morbis jungantur. Simples, absque febre maligna, peste, lue & similibus periculo fere carent, solentque multi ex illis, præcipue magis serosi sponte, vel levi sudore dissipari; aut si turgescencia humorum major conjungitur, cito ad suppurationem abeunt, ægrumque à periculo vindicant. Idem credo factum fuisset in nostro ægro, si natura solventibus fuisset adjuvata, aut ad minimum adstringentibus non impedita, sed videbimus jam quomodo cura fuerat adornanda.

## T H E S. X X V I.

In cura bubonum, aliorumque exanthematum ante omnia attendere solemus, an critica sint, vel symptomata, ut naturæ conatus salutaris adjuvari, pravus vero corrigi possit. Symptomaticum vero in nostro potius quam criticum fuisse patet, quia ex abrupto statim, absque febre vel alio quodam morbo præcedente erupit, quo ipso quidem

Tom. V.

G

na-



natura ægri non errabat, quandoquidem scoriis & salibus heterogeneis, quibus sanguis plane obrutus & in mistura naturali turbatus, tanquam sarcina se liberare, eademque ad limites ejicere conabatur; quocumque enim tempore, sive in principio, sive augmento, vel statu morbi, causa morbifica rite excernitur, vel imminuitur solum, salutare est; nihilo fecius tamen peccatum non fuisset, si ab initio statim invasionis, minorativum & laxativum adhibuisset medicus, ita enim absque turbatione humorum notabili, fomes & fermentum præcipuum e primis viis fuisset subtractum, nec tantus ad partem affectam affluxus, consequenter nec inflammatio & suppuratio tam late patens oriri potuisset. Eadem ratione nec bubonibus malignis imminentibus laxantia nocent, multo minus, ubi tantus abusus fructuum horæorum & inordinata profus diæta præcesserat.

## THESES. XXVII.

His præmissis neque venæ sectio, ab initio, in nostro profus inutilis fuisset, ad sanguinis tantam incalescentiam & stagnationem præcavendam: in malignis quidem, & pestilentialibus bubonibus ab eadem abstinere præstat, quoniam contagium & virus ibidem nimis volatile & acre hac ratione nihil quicquam imminuitur, quin potius, absumpta sanguinis spirituosæ parte, eidem vires adduntur, quo minus diluatur, aut exteriora versus excludi possit. Hinc etiam, quoniam inflammationem jam tum in summo gradu auctam, & sphacelationi proximam deprehendebam, eandem nunc ommittendum duxi; grumescens enim jam tum sanguis, & serum extra limites & tubulos suos egressum, non potuisset evacuari, maturatio vero & ruptio ipsius bubonis, tum temporis absolute necessaria, fuisset potius impedita.

## THESES. XXVIII.

Prioribus ergo adstringentibus & emplasticis remotis, emollientia statim & suppurantia applicare curavi. Cataplasmata nimirum ex rad. alth., lil. alb., bryon, sem. fœnu græc., lin., ficubus, flor. sambuc, melilot, &c. in lacte coctis, eaque singulis fere horis calida repetere jussi. Solus enim calor poros cutis & vasorum insigniter aperit, humores stagnantes resolvit & movet; cui accedentes ab emollientibus particulæ mucilaginosæ, humidæ, paregoricæ, fibras & membranulas retinentes simul laxant, & lubricant, ut spiculis salium acrium promptius cedant; imo spicula ipsa salium à figura illarum subævigata & lubrica obtunduntur, involvuntur, quo minus tam hostiliter pungere, rodere & dolores exacerbare queant. Eo ipso etiam sequitur facilius suppuratio seu puris generatio, non quod ullum medicamentum per se & proprie suppurativum dici queat, sed quoniam partes sanguinis heterogenæ, salinæ,  $\Delta$  reæ & gelatinosæ, nunc in tubulis quoque dilatatis

latatis & laxatis magis commotæ & rarefactæ promptius inter se pugnant, fermentescunt, quousque subtiliores & volatiliores partes abeant, relicto ichore acescente & putrescente, quem in specie pus appellamus.

## THESES. XXXIX.

Interea non omittebantur quoque interna remedia, quæ mixturam totius sanguinis jam tum turbatam & febrilem tranquillarent, symptomata gravissima mitigarent, & vires ægri nutantes restaurarent. Eum in finem dedi misturas ex ebore, f.  $\Delta$ , C.C. phil., ocul. 69. corall. ppt.  $\frac{1}{2}$  diaphor. bezoard. mineral. & imprimis  $\frac{1}{2}$  li, cinnab. nativ,  $\frac{1}{2}$  ij & similibus cum vehiculis alterantibus & confortantibus appropriatis, ex  $\Delta$  a sambuc. scabios. card. bened. cherefol. ulmar, menth, borragin. theriacal. cinam. cydoniat. cord. frigid. herc. f. conjunctis, de quibus singulis horis haultus sumptus, etiam singultum & vomitum insigniter mitigabat, addito pro re nata laudan. op. vel tinct. annodyn. aliisque.

## THESES. XXXX.

Ad diaphoresin in specie & suppurationem bubonis eo melius promovendam, præter illa, per vices sudorem blandum conciliabant tinct. bez. myrrh. castor. anodynis maritata: febrium enim omnium, excepta fere unica hæctica, panacæa præcipua sudorifera non solum sunt, quoniam miasma peregrinum sanguinis, seu fermentum febrile domant & ad discussionem promovent; sed imprimis quoque inflammationibus, doloribus, tumoribus, tanquam circulationis impeditæ effectibus, directe resistunt, & præsentaneam opem ferunt.

## THESES. XXXXI.

His ita methodice administratis, & triduo elapso bubonis mollities quædam apparebat, quam ut promoverem, & apertio quantocius fieri posset, præter cataplasma, unguentum aureum, seu basilicum correctum applicare jussi (quod propter terebinthinam, myrrham, crocum aliaque resolventia vere aureum est, in apperendis tumorum poris iisque maturandis) superimposito adhuc emplastro diachyl. cum gummis composito: quo etiam fiebat, ut bubo cito aperiretur, & purulentæ materiæ ingens copia cum fetore & flatibus erumperet.

## THESES. XXXXII.

Hoc facto & abscessu satis mundato, turundam ex emplastro meo polychresto formatam, & balsamo traumatico, ex oleo terebint. &  $\frac{1}{4}$  r.  $\frac{1}{2}$  ij imbutam, applicabam, superimposito eodem emplastro polychresto, quod mirificam semper opem, in vulnerum ulcerumque omnium mundificatione & consolidatione, mihi præstitit. Altero vero die

turundam non solum propulsam, sed lumbricum quoque foras prominentem inveniebam, quo extracto, adhuc bini, diversis tamen vicibus, sequebantur, cum faburra & fœtore fere intolerabili. Posthinc etiam cibi partim crudi, partim quoque digesti parumper, imo ipsa medicamenta, præcipue pulveres, colore & odore naturali, ultra quatuordecim dies prodibant, alvo nihilo fecius aperta; non poteram igitur, quin præter potiora abstergentia, interna quoque vulneraria & balsamica e rad tormentill. consolid. maj. herb. aristol. agrim. fanicul. alchim. heder. terrestr. vinc. pervinc, scab. veron. hyperic. myrrh. aloë, mastich. ocul. 69, & similibus adderem. Talia enim ratione naturæ suæ salinæ & alcalinæ, citra irritationem aut turbationem humorum egregie desiccant, fordes abstergunt, & acidum absorbent; ratione vero balsamicæ oleosæ & glutinosæ sanguinis partes oleosas & balsamicas restitunt, gluten carniū juvant & γλισχρόν necessarium suggerunt, indeque omnium optime carnis restitutionem promovent: ut ut enim carnem generare solius naturæ opus sit, nec proprie loquendo ullum medicamentum sarcoticum dici possit, nihilo fecius tamen sanguine, utpote nutrimento ejus restituto & impedimentis aliis remotis, eadem egregie juvatur.

## T H E S. X X X I I I.

His ipsis etiam focum & mineram lumbricorum destrui putabam; omnia enim balsamica vulneraria, præcipue salina & balsamica sunt quoque anthelminthica: eadem putredo in corpore animato, si non à priori, tamen à posteriori, est nidus vermium; eademque destructa vermium ruina sequitur. Nihil vero efficacius ut in aliis, ita hic quoque deprehendi, quam aloëtica, adeo quod dubitem, an præstantius anthelminticum & simul vulnerarium habeamus.

## T H E S. X X X I V.

Elapsis tribus circiter septimanis, putredo sensibiliber minuebatur, nihilque nisi serum limpidum abscessus stillabat: hinc priori methodo eo confidentius insistens, essentiam traumaticam addidi, interdictis simul omnibus fermentabilibus, dalcibus, acidis, lacticiis & similibus. Tandem vero ulcere profus connivente, corpus leni abstergente e rhabarbaro, aloë & ♀ dulci purgabam, atque hac ratione æger pristinae sanitati redditus, per solius Dei gratiam, adhuc salvus & incolumis vivit. Cui etiam soli & semper sit Gloria & Honor.

F I N I S.

CXXVII

DE SPICA DEGLUTITA  
ET PER APOSTEMA HYPOCHONDRII  
DEXTRI REJECTA.

*Præside*

CAROLO FRID. LUTHER.

*Respond.*

JOACHIMO DOLGE

KIL. HOLST.

Kiliæ 19 Julii 1704.

G 4

